

EXPOSITIO III.

51.



Offert Angelus orationes ad placandam iram.

Aretas, Blesens.

Alius Angelus, verus, inquam, Angelus, & distinctus a septem, qui tubis canunt, & plagas immittunt; unus tamen ex primoribus, videns tot plagas, ac calamitates inferendas ab Angelis tuba canentibus, obtulit Deo orationes sanctorum, ut tales plagas averteret, vel saltem minueret. Stetit ante altare; scilicet caeleste, & thymiamatis; alludit ad illud, quod erat in sancta sanctorum, & simile ostensum est Joanni in caelo. Habens thuribulum aureum. Juxta nostrum corporeum modum concipiendi, spiritalia hic proponuntur; quod scilicet Angelus tanquam in thuribulo aureo, quasi incensum Deo gratissimum, offerat nostras orationes, & data sunt ei incensa multa. Ab ipsis nempe sanctis; vel ab eorum Angelis custodibus; quae autem sint haec incensa, statim explicat, de orationibus sanctorum. Nam Angeli patroni, & advocati sanctorum clientium orationes offerunt Deo. Incensa autem hic oblata Deo, Aretas, & Blesensis sermone 47. non solum intelligunt orationes, sed etiam bona, & sancta opera; quae Angeli offerunt Deo. Super altare aureum Thymiamatis nempe; id est; per, & propter merita Christi, in quo super omnia complacuit Deo; de his etiam dicam ad litem quaest. 6.

QUAESTIO V.

Quisnam sit iste Angelus, stans ante altare cum thuribulo aureo?

52. Aureolus.

Primo, Aureolus existimat, hunc Angelum esse Sanct. Damasum Papam, sub quo valde crevit, & floruit Ecclesia, & instituit, ut in fine cujuslibet Psalmi diceretur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; & ideo dicuntur, ei data incensa multa, ante Deum: cum in illo tempore floruerint gravissimi Doctores Ecclesiae D. Hieron. D. Ambros. D. Naz. D. August. inde dicuntur factae voces, & onitrua. Haec tamen multum sunt aliena ab intentione libri Apocalypsi.

53. Ribeira.

Secundo, Ribeira tenet, hunc Angelum esse Gabrielem, sicut & alii dicunt esse Michaellem; sed probabilius Gabrielem, & Michaellem esse ex septem illis, quibus superius datae sunt tubae, cum de illis dicatur, esse ante thronum Dei.

54. Alcazar.

Tertio, Alcazar affirmat, esse charitatem Christianorum primitivae Ecclesiae; charitati enim hic per prophopetiam dati nomen, & personam Angeli. Illa enim tales Christianos primos impulit, ut pro Judaeis persecutoribus ardentes preces funderent quibus ab eis supplicia Dei, quae eis impendere cernebant, averterent; sed excidium Hierosolymitanum jam praecesserat, hic autem liber est Propheticus.

55. Richard. Ansbert. Rupert.

Quarto, Richardus Victorin. Ansbertus, Rupertus, Joachimus, Albertus Magn. D. Thomas, Viegas, Gagnæus aptè hunc locum Christo

Domino accommodant. Quia Christus testamenti Angelus est, ut de eo dixit Malachias 3. & benedicitur, alius Angelus; quia Christus Dominus superior omnibus aliis est, ut ait Richar. & iste Angelus ante altare stetit, quando, ut ait Rupertus, facturus voluntatem Patris, promprum ad immolandum in cruce se exhibuit; vel stetit, ut ait Haymo, tanquam advocatus noster apud Patrem, ut de eo ait Joan. Epist. 1. cap. 2. Ante altare, ut inquit Rupertus, Joachimus; Altare crux est, in quo se Deo Patri pro delictorum nostrorum expiatione victimam obtulit: Habens thuribulum aureum, SS. in manu sua, ut ait Joachimus, quia liberè ac spontè se obtulit in sacrificiū, oblati est, quia ipse voluit. Thuribulum aureum, corpus SS. ipsius, Divinitatis fulgore aureum quod bene thuribulum dicitur, ob odorem suavitatis, quem odoratus est in eo Pater; vel quia thuribulum duas habet partes, ut ait D. Bern. partem superiorem quae designat amorem Dei, & partem inferiorem, quae designat amorem proximi; pars superior habet multa foramina, quae signant contemplationes cordis in Deum; ita ille: vel aureum dicitur, quia, ut ait Albertus Magnus, ob charitatem passus est; vel Haymo, ob puritatem, quae maxime resplendit. Et data sunt illi incensa multa; quae autem sunt ista incensa, locus sequens declarat, scilicet orationes sanctorum; super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Orationes enim sanctorum, ut advertit Haymo, nisi in illo thuribulo reponantur, id est, nisi in Christo fundentur, & super altare aureum, id est, pretiosissimum Dominicae crucis Sacramentū. Deo Patri offerantur, ingratae sunt, & non odoriferæ, unde Ecclesia fundens preces, semper concludit: per Christum Dominum nostrum. Et de igne thuribuli misit in terram, cum in die Pentecostes misit Spiritum sanctum, & eo Apostolos, ac Ecclesiam inflammavit; misso autem hoc igne in terram, secuta sunt voces, quibus Apostoli dixerunt magna gloria Dei; secuta sunt onitrua Praedicationis, fulgura miraculorum.

Joachim, Alb. Magn. D. Thom. Viegas. Gagn. Rupert. Haymo. Christus noster advocatus. r. Joan. 2. Joachim.

D. Bernard.

Albert. Mag.

Nostra orationes ex merito Christi habent valorem.

56. Impugnatur praedicta sententia.

Tob.

57.

Ribeira, Corneli. La Haye, Ferrarius.

Tamen

58. Iste Angelus typicè unus personarum multorum agens.

59. Adorantes Angeli convolant.

Psal. 67.

Græcus.

D. Bern.

60.

Genes. 31. Genes. 32.

Orans ad arabit omnes Angeli. Genes. 3.

Genes. 19.

Tamen valde verisimile nobis est, quod iste Angelus hic, licet sit unus; typicè tamen est multiplex. Nam offerre orationes omnium sanctorum, & fortè multorum temporum non unus Angeli est, sed plurimorum. Raphaël obtulit orationem Tobiae 12. Michael orationes Antiquorum Patrum; Gabriël orationem Zachariae, ut probabile creditur, Angeli custodes suorum clientum; ergo iste Angelus, typicè stat loco multorum Angelorum, qui nostras orationes Deo offerunt; Hoc autem typo, & hac imaginaria visione instruimur, quam supremo consilio, omnia fiunt in illo divino oblatio; factum est silentium in caelo promagnatum rerum dispositione; tunc dantur tubae septem Angelis; ad illarum sonum hæc, & illa magna declarantur; sed antequam deveniatur ad hoc, ab uno Angelorum orationes omnium Sanctorum ostendantur oblatae Deo, & perpenso illarum orationum negotio; demisso in terram fructu illarum, consultè deveniatur ad plagas; nec sequitur inde, orationes sanctorum non exaudiri, ut explicabo quaestione sequenti.

Merito sanè hic introducitur Angelus, tanquam in thuribulo aureo offerens orationes sanctorum; nam Angeli sancti, maximè advocant, & se conjungunt orantibus; decantant Regius Vates Psalm. 67. n. 26. Prævenimus Principes conjuncti psallentibus, in medio juvenularum tympanistrarum. Quinam sunt ipsi Principes, qui præ gaudio, ac lætitia, prævenientes conjunguntur psallentibus; seu ut habet Græcus, cantoribus: Isti Principes sunt Angeli; quia ubi est chorus canentium, & psallentium in laudem Dei, statim ei conjunguntur, ac associantur. Divus Bernardus Epistol. 78. O si quis, ait, haberet oculos apertos, quos orando propheta puero revelavit; videret procul dubio, quem admodum præveniant Principes conjuncti psallentibus; videret, inquam, quæ cura, quove tripudio intersunt Angeli cantantibus, de sunt orantibus, insunt meditantibus, Orationes habent Angelorum illicem; & qui in orationibus est, chorus Angelicos ad se trahit, Angelosque sibi arctissime adjungit socios.

Cum Jacob iter faceret de Mesopotamia in terram Chanaan ad Patrem suum Isaac, in monte Galaad foedus amicitiae pepigit, cum socero suo Laban: Invocatoque Abraham, Immolatisque villis in mote, vocavit fratres suos, ut ederent panem. Genes. 31. num. 54. Inito foedere, statim statim facit Text. Genes. 32. num. 1. Jacob autem abiit itinere, quod exierat, fueratque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt hæc. Res sanè mira; nunc castra Dei occurrunt Jacob, ad custodiendum paradysum unus constituitur Angelus. Genes. 3. num. 24. Duo veniunt ad Lothum, ut à Sodomitico igne liberaretur Genes. 19. num. 1. Tres apud tugurium Abrahami hospitantur; ad Jacob autem, non duo, non tres, nec pauci, sed innumerabiles se offundunt Angeli; & ingentes exercitus faciunt, ut dicantur Castra Dei. Cur ergo, qui tam pauci ad alios veniebant, in tanta multitudine, nunc Jacob apparent? Immo laverat Jacob victimas cum socero suo Laban, ibique Deum invocavit, ut notat Divus Chryllostomus, Abulensis, & alii, indeque oratio sic Angelos ad se traxit, ut adstantem Jacob, non duo, vel tres

Angeli venirent, sed exercitus Angelorum ad eum convolarint; sic oratio Angelos allicit, ut ad se omnes advocet. Ad hoc tendit Egesippus lib. 5. cap. 16. Jacob sanctus, ait, Esau fratre paritidum minuit ante, patriam reliquit, parentes deseruit; solus secum orationis ferens viaticum cum fratre metueret insidias, atque auxilium egeret, invenit Angelorum Concilium perducitur ad castra Dei.

Egesippus.

Cum Rex Assyriorum Sennacherib confusus in potentia exercitus, superbum nuntium misisset ad Regem Ezechiam, ut ei traderet civitatem, ait sacer Text. Factum est igitur necesse illa, venit Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octoginta quinque millia: 4. Reg. 19. num. 35. Si exercitus impii Regis puniendus erat, cur manu Angeli, & non potius immilla pestilentia? vel adductis ignitis serpentibus? Angelus venit ad puniendum Sennacherib, & ad liberandum Ezechiam; cum Rex Ezechias impii Regis Assyriorum adventum audisset, ingressus est in templum Domini, & ibi largam orationem coram divina Majestate effudit, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, &c. Ibidem n. 15. Oravit Ezechias; inde praesto adest Angelus, qui hostium exercitus destrueret, & salutem traheret Regi; semper Angelus orantes concomitatur, ac eis in auxilium & defensionem. Egesippus citato lib. 5. cap. 16. Non verba verbis, ait, non arma armis referenda creditur; sed exurgens, cilicio se ut scuto induit: pro galea cinere caput texit, pro jaculis orationem innotuit. Ascendit oratio, descendit Angelus, caesa per noctem centum octoginta quinque millia Assyriorum.

61.

4. Reg. 19.

Oranti praesto adest Angelus.

Egesippus.

QUAESTIO VI.

Quo moti vo, quare causa, Angelus habens thuribulum aureum, in hac praesenti occasione offert orationes sanctorum?

Introducitur hic Angelus habens in manu thuribulum aureum, cui sunt reposta multa incensa, ut offerat super altare aureum; hæc omnia dicuntur typicè juxta nostrum corporeum modum concipiendi, ut aliquid spirituale innuatur; nam Angeli sunt incorporei, non habent thuribulum, & orationes; maximè mentales sunt, & incorporeæ, & non ponuntur in thuribulo; & in caelo nec est thuribulum, nec altare aureum; & in his alluditur ad thymiamata, quod Deo in templo offerebatur super altare thymiamatis, quod in templo Salomonis erat aureum ante arcam in sancto sanctorum; ac proinde Joanni representatum est in caelo aliquid ad similitudinem illius altaris, ac thuribuli, in quo reponebantur incensa multa, per quod denotabatur, quod Angelus tanquam in thuribulo aureo, obtulit Deo incensum suavissimum, orationes nempe nostras, quæ dicuntur odoramentum per jucundissimum, ut explicavi supra cap. 5. quaest. 23. & in his conveniunt omnes expostores, & interpretes.

62.

Per corpoream via typicè spirituaia denotantur.

Et



63. Deus exaudit orationem justorum non peccatorum.

Psal. 4. D. Chryf.

Oratio multorum valde efficac.

D. Chryf. Psal. 110.

64. Quæstio preposita.

65. Cornelius. Apoc. 6.

Ezech. 1. P.

66. Vera resolutio. Andr. Cæf.

Matth. 5. 1. Tim. 5.

Sancti pro omnibus bona deprecantur.

67. Confirmatur resolutio.

68. Solvantur argumenta contraria.

Et notanter dicitur in text. De orationibus sanctorum omnium, non dicitur, ut daret de orationibus tantum, sed sanctorum omnium; nam Deus exaudit justos, & non peccatores; Cuius invocarem, exaudit me Deus iustitia mee. Psal. 4. num. 1. legit D. Chryf. Cum invocarem, exaudit Deus iustitiam meam. Nam Deus exaudit iustitiam orantis, & non nequitiam deprecantis; & notanter ait: De orationibus omnium sanctorum. Nam licet oratio, multum efficac sit ad Deum; tamen oratio, quæ ab omnibus vel multis fit, multo majores habet vires; pro quo rectè expendit D. Chryf. serm. 132. illud Psal. 110. num. 1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo in concilio justorum. Quamvis David esset Sanctus; tamen ex concilio, ac congregatione justorum, multum sibi sperabat; sic ait: Qui sibi in concilio sanctorum, quod poposcit, audit præstandum. Vide supra cap. 4. q. 38. n. 146. 147. & 148.

Quæstio principaliter inquit, in quo est tota controversia an huiusmodi sanctorum orationes essent pro peccatis infligendis in impiis, an pro removendis ab eis, vel saltem, ut Deus huiusmodi peccata, ac supplicia mitigaret, & minueret?

Cornelius ad vers. 4. §. Porro orationes, contendit, sanctos precari vindictam, & poenam in impiis, non verò veniam & Primò cap. 6. num. 10. Animæ Martyrum postulant vindictam. Secundò cap. 9. n. 14. hæc vox prodit ex cornibus altaris: Solvo quatuor Angelos, qui soluti gravia impii inferunt supplicia. Tertiò. Hic alluditur ad cap. Ezechiel. 10. n. 2. Ubi unus Angelus alterum jubet accipere prunas ignis ex altari, easque fundere in Jerusalem, ut comburatur per Chaldaeos. His non obstantibus.

Dicendum est, has orationes sanctorum petivisse veniam, vel saltem diminutionem poenarum, & non vindictam. Andreas Cæsariensis Stetit Angelus, ait, preces sanctorum, tanquam suffimenta. Deo offerens, per que petebant, ut orbe consummato, æne, & flagella, qua impii prævaricatoribus hic inferuntur, supplicia in illos constituta diminuerent. Probatur, quia hæc est communis omnium justorum, ac sanctorum praxis, orare pro persequentibus, ac calumniantibus, eisque bona petere, ac benefacere, juxta doctrinam Christi Domini. Matth. 5. num. 44. & sic Paulus 1. Timoth. 2. num. 1. Obsecro igitur primò, omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Et sic Ecclesia in oblatione calicis ait: Offerimus tibi, Domine, calicem salutis pro nostra, & totius mundi salute. Ergo hæc orationes sanctorum non sunt ad petenda ullis mala, sed bona.

Confirmatur, quia si sancti peterent huiusmodi calamitates, procellas, exustiones terræ, maris, & arborum; etiam huiusmodi mala peterent; non solùm malis, sed etiam bonis, qui juxta parabolam tritici, & Zizaniæ permixti vivunt; nec excindi potest Zizania, quin & eradicetur simul & triticum; ac proinde huiusmodi infortunia, & mala, etiam comprehenderent bonos; & signati ab Angelo, saltem quoad mala temporalia, non liberarentur.

Ad primum argumentum Respondeo ex his, quæ dixi supra cap. 6. quæst. 25. n. 227. & 228. quod sancti in partia postulant vindictam, &

poenam in suos persecutores; quia clarè vident divinam voluntatem, absolutamque decretum eos puniendi; è qua voluntate beati non possunt discrepare, sed in omnibus se illi confirmant, imò desiderant, & petunt, ut Deus in omnibus adimpleat suam voluntatem; At in omnibus iusti, cum certò non cognoscant divinam voluntatem teprobandi suos persecutores, inde pro eis, ut Stephanus, orant, ut in viam salutis veniant. Secunda, & Tertia ratio nihil faciunt; quia in utroque casu Angelus clamavit, ut miseretur divinæ iustitiæ, & ut à Deo missus; nos autem hic loquimur de sanctis viatoribus; qui hoc tantum à Domino mandatum habent: Dilige inimicos vestros, benefacite his, qui odierunt vos. Nec sequitur ex his, orationes sanctorum frustrari; quia sancti hoc debent pro suo ultimo fine, & intentione, ut in omnibus fiat; quod est ad majorem gloriam, & honorem Dei.

Orabant ergo sancti, ut plagæ, ac calamitates infligendæ in ipsos Deo irato, averterentur, vel minuerentur; Deus enim, cum irascitur, maxime vult rogari, ut furor ejus quiescat, & misericorditer indulgeat. Veniat iterum locus superius datus ad alium scopum. Inuadaverunt mala in Jerusalem, multiplicata sunt peccata, iudicium retrorsum abiit, iustitia à longè sterit; veritas facta est in oblivionem; tunc subdit Isaias 59. num. 16. & scilicet Dominus; Videtur, quia non est vir, & apertus est. Ultima verba legit Hebraicus, & obstupuit; vidit Dominus, quod in civitate plena populorum, nullus erat vir; Duo hic sunt examinanda; quomodo; & quomodo dicatur de Deo quod obstupuit; nam obstupor provenit ex novitate alicujus rei; at qui Deo omnia sunt præsentia ab æterno, & nulla ei succedit nova cognitio; cum omnia sint nuda, & aperta oculis ejus; quomodo ergo admirans obtupescens est? cum nullus esset vit justus, qui orando occurreret ei, ut ejus iram averteret, ut à peccatis inferendit abstineret, obstupuit, quoad speciem; sic Deus ob suam infinitam bonitatem propensus est ad pietatem, ac misericordiam, sicque vult, nostris precibus suam misericordiam provocari, ac sollicitari, quod cum non esset vir justus, qui orando ejus clementiam alliceret ad indulgentiam, videtur quodammodo, secundum nostrum modum concipiendi, quod obstupuit D. Hieron. Desideravit enim aliquem virum justum qui sibi irato posset occurrere; Orationibus nempe, ut sanct. Doctorem explicat Cornelius.

In ornatu antiqui Pontificis, mandavit Deus, ut in lapidibus pretiosis sculperentur nomina filiorum Israël: Portabitque Aaron nomina eorum, coram Domino, super utrumque humerum ob recordationem. Exod. 28. num. 12. Maxime hic locus vexat Auctorum ingenia, quomodo intelligi potest, quod Deus recorderet illorum, quorum nunquam obliviscitur, cum omnia in intuitu mentis ejus semper sint præsentia; Recordatio supponit oblivionem alicujus rei, quæ exciderat à mente; ergo cum Deus nullius obliviscatur, non valet, alicujus recordari. Respondet Abulens. 161. quæstione 11. M. ad ar. ergo Deus, ait, ponit istos lapides in memoriam, sive recordationem. scilicet, quia licet ipse nihil recorderetur, cum omnia oculis ejus sint præsentia, tamen

Deus nos excitat ad orationem ut indulgeat.

Math. 5.

69. Deus vult rogari, ut misericorditer indulgeat.

Isai. 59.

Hebr. 7.

Deus vult quoad speciem admiratur, dum non exoratur ad misericordiam.

D. Hieron.

70.

Exod. 28.

Abulens.

vult.

Deus nos excitat ad orationem ut indulgeat.

vult, quod nos occupemur in diversis cultibus ejus, secundum convenientiam effectus nostri. Tanquam si diceret; Deus cujus cognitionem nihil lateret, sed omnia in conspectu ejus sunt præsentia, dicitur tamen; aliquando recordari; non quia alicujus oblivionem patitur, sed ut denoret, secundum speciem, illam pati, cum aliquando furore repletus castigat, ut nos alliciat per cultum, & orationem, ad memoriam ejus circa antiquos Patres excitandam, ut miseretur, & parcat; simulat ergo oblivionem antiquorum Patrum, ut nos provocet precibus; ac orationibus, ut objectis meritis illorum Patrum, indulgeat, & rorem suæ pietatis infundat.

Apoc. 8. n. 4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli, coram Deo.

Num. 5. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram; & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magni.

VERSIONES.

Syrus. n. 4. Ascendit fumus suffituum precum sanctorum.

Arabicus. Ascenditque ex eo fumus incensum, quæ sunt orationes sanctorum, de manibus Angeli, qui adstabat coram Deo.

Pagninus. Ascendit fumus suffimentorum.

Primasius. Ascendit fumus supplicationum, & orationum sanctorum.

Aliqui. Ascendit fumus incensorum cum orationibus.

D. Ambrosius. Ascendit fumus aromatum.

Syrus. 5. Et accepit ille Angelus, & c. projecit in terram. Arabicus. Et abjecit eum in terram. Biblia Anti-que. Accepit thuribulum aureum.

EXPOSITIO IV.

Ascendit fumus incensorum; quæ in thuribulo aureo erant immissa. De orationibus sanctorum, aptè valde gratissimè exauditur sunt à Deo; & cum dicitur, incensum de orationibus sanctorum, non denotatur, quod aliud sit incensum, aliud orationes; nam illud thymiana confectum erat ex variis desideris, ac affectibus

affectibus sanctorum, & valde suavem exhalabat Deo odorem de manu Angeli offerentis coram Deo.

Et accepit Angelus thuribulum. Angelus ex vers. 3. habebat thuribulum in manu, nunc vero dicitur, quod Angelus accepit thuribulum; quia Angelus thuribulum, quod habebat, posuit in altari; & cum ibi suum suffitum, ac odorem dedisset; & jam veloti consumpto igne, esset vacuum, nunc reassumit thuribulum; & implevit illud de igne altaris, holocausti, ex quo habemus, Deum nobis plus reddere, quam meremur, ac postulamus; nam quando sermo fuit de orationibus sanctorum, quæ Deo offerantur in ipso thuribulo, non est dictum, quod thuribulum esset plenum; cum autem de fructu, ac exauditione divina sermo dicitur, implevit illud de igne altaris, quantum scilicet thuribulum capere poterat, & pro non pleno reddidit plenum charitate, ac amore divino, in meditatione mea exardescit ignis.

Et misit in terram, illum nempe ignem charitatis; & quid inde factum, ac sequutum est in prædicatoribus ac ministris Ecclesiasticis, tonitrua; id est, districta reprehensio peccatorum; voces, efficaciter persuadentes penitentiam; fulgura doctrinæ lumina ad illustrandam mentem. Terra motus magnus; Ingentes nempe comminationes poenarum, ac judicii, hic est verus sensus literalis, ut dicam infra q. 7.

QUÆSTIO VII.

Quare oratio, sancti qua opera asseruntur fumo, qui ascendit coram Deo?

At Text. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum; ut dixi in expositione, idem est hoc loco incensum ac orationes: fumus ergo hoc loco, ut ait Divus Thomas, idem est, ac devotio orationis, quæ dicitur ascendere coram Deo, tanquam suffitus incensum jucundissimi, ac suavissimi.

Et ideo David dicebat. Psal. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Sicut incensum, seu fumus incensum, qui recta, & directa via relinquens terrenam; intendit ad cælum, ut ibi Bruno, Remig. Carthusian. interpretantur. Secundò sic dicitur, Cantic. 3. numero 6. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumus? Utpotè extenuata, ac defœcata à terrenis: sic & oratio, ut toto ac directo affectu in cælum tendat, debet esse nudata à terrenis. Deinde quia ut incensum odorem, ac fumum emittat, necesse est ut igni applicetur, & tunc ex igne ascendit fumus: sic & oratio, ut in cælum ascendat, & exaudiatur, necesse est ut ex igne charitatis nascatur. Sic Divus Thomas hic, & D. Bernardinus rom. 4. Dominic 5. post Pascha: Incensum, ait, antequam appropinquet igni, quasi mortuus videtur; & igne contactum, quasi spirituale fit, & in altum ascendit: sic merita orationum, quasi mortuum est, & nihil valet, nisi in quantum illius dilectionis igne, quo pro nobis Christus meruit, vivificatur. Quatio, oratio tanquam fumus

72. Deus plus dicit, quàm postulamus.

73.

74.

D. Thom.

75. Psal. 140.

Cantic. 3.

Oratio, ut directè feratur in Deum, extenuata sit à terrenis.

D. Thom.

D. Bernard.

Oratio ascendit ex igne charitatis.